Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

saluatore dixeris. mater mea et fratres mei hi
sunt. qui faciunt uoluntatem patris mei qui
in celis est. Crudelitas ista pietas est. Immo
quid tam pium quam sanctum matri? quam sanctum filium custo-
dire. Optat et illa te uiuere. et non uidere
ad tempus. ut semper cum christo uideat. An-
na non solum samuelem. sed tabernaculo genuit.
Filii ionadap qui uinum et siceram non bi-
bebant. qui habitabant in tentoriis. et qua
nox compulerat sedes habebant. scribuntur
in psalmo. quod primi captiuitatem sustinuerint.
quia exercitu chaldeorum uastante iudeam
urbes introire compulsi sunt. Viderint
quid alii sentiant. unusquisque enim suo sen-
su ducitur. mihi oppidum carcer. et solitudo pa-
radisus est. Quid desideramus urbium fre-
quentiam. qui de singularitate censemur.
Moyses ut preesset populo iudeorum. xl. annis eru-
ditur in heremo. pastor ouium. hominum
factus est pastor. Apostoli de piscatione
lacus genesar. ad piscationem hominum
transierunt. Tunc habebant patrem rete
nauiculam. secuti dominum protinus omnia reli-
querunt. portantes cottidie crucem suam.
et ne uirgam quidem in manu habentes.

Hoc dico. ut etiam si clericatus titillat te
desiderium. discas quod possis docere. et ra-
tionabilem offeras hostiam christo. ne miles
ante quam tyro. ne prius magister sis. quam
discipulus. Non est humilitatis mee. neque
mensure iudicare de clericis. et de ministris
ecclesiarum sinistrum quippiam loqui. Habe-
ant ordinem et gradum suum. quem si te-
nueris. quomodo tibi in eo uiuendum sit. editus
ad nepotianum liber te docere poterit.
Nunc monachi incunabula moresque dis-
cutimus. et eius monachi qui liberalibus studiis eru-
ditus. in adolescentia collo suo christi iugum impo-
suit. Primumque tractandum est. utrum solus
an cum aliis in monasterio uiuere debeas.
Michi placet. ut habeas sanctorum contubernium.
nec ipse te doceas. et absque ductore ingrediaris
uiam quam numquam ingressus es. statimque in
partem alteram tibi declinandum sit. et erro-
ri pateas. plusque aut minus ambulans quam
necesse sit. currens lasseris. faciensque moram
obdormias. In solitudine cito subrepit su-
perbia. et si parum ieiunauerit hominemque
non uiderit. putat se alicuius esse momenti.
oblitusque sui. unde. quo uenerit. intus corpore
forisque lingua uagatur. Iudicat contra apostoli
preceptum alienos seruos. ad quod gula po-
poscerit porrigit manus. dormit quantum
uoluerit. facit quod uoluerit. nullum ueretur.
Omnes se inferiores putat. crebrique in urbi-
bus quam in cella est. et inter fratres simulat uerecun-
diam. qui platearum turbis colliditur. Quid
igitur? Solitariam uitam reprehendimus? Mi-
nime. Quippe quam sepe laudauimus. sed
de ludo monasteriorum huiusmodi uolumus
egredi milites. quos heremi dura rudimenta
non terreant. qui specimen conuersationis
sue multo tempore dederint. qui omnium fue-
rint minimi. ut primi omnium fierent.
quos nec esuries nec saturitas aliquando su-
perauit. qui paupertate letantur. quorum ha-
bitus. sermo. uultus. incessus. doctrina uir-
tutum est. Qui nesciunt secundum quosdam
ineptos homines demonum pugnantium
contra se portenta confingere. ut apud
imperitos et uulgi homines miraculum sui
faciant. et exinde sectantur lucra. Vi-